284.

IMMATURUM DOLOREM
Super
IMMATURUM OBITUM
ANNÆ DOROTHEÆ,
Genere & Natalibus conspicuæ
BAUMGARTIO-KNIPPELIANÆ FILIOLÆ
ante tres Menses natæ
&
præter omnem opinionem avitis sepulcris
solennissimè
Anno 1705. die 13. Decembr. illatæ,

GYMNASIUM THORUNIENSE
VIRO
MAGNIFICO, NOBILISSIMO atqvè CONSULTISSIMO
DOMINO,
DN. JOH. BAUMGARTEN,
Consuli, p. t. Judici & Scholarchæ Palæopolitano
testari voluit.

O Dolor! ô gemitus! luctu Pater ipse fatiscit,
Et fracta mœstus mussat Apollo lyra.
Hic Charitum tristis, Musarum flebilis illic,
Stat Chorus, & pullis vestibus ora tegit.
Singultu resonas implent & qvestibus auras
Mœsta tori consors, mœstaqvè turba Scholæ.
Nam Pater amisit Sobolem virtute coruscam,
Amisit Mater cordis amanda sui.
Nos qvoqvè defunctæ ploramus funera Natæ,
In qva spes Matris desiit atqvè Patris.
Sed qvid opus lacrymis? gemitus qvæ præmia sumit?
Contra vim mortis nulla qverela valet.
Ample Parens, audi teneræ solatia Natæ,
Qvæ Tibi post mortem Filia chara dedit:
Mater mœsta, Tibi plures debentur amores,
Qvos nunc post obitum Filia chara refert:
Desine chare Parens, tuqvè ô bona desine Mater,
Innocuam dictis exagitare necem.
Qvid fuerim, qvid sim, perpendite: Filia nuper
Sontis Adæ, mortis Filia nuper eram.
Nunc DEUS *ipse mihi Pater est, fons ille salutis,*
Fons vitæ: mea qvis fata secunda fleat?
Dulce fuit vestris hærere amplexibus, at nunc
Amplexu Christus me fovet, atqvè tenet.
Dulcia fixistis mihi basia, basia Christus
Jam figit nullis condecoranda metris.
Nunc vitæ fontem sitientibus haurio labris,
Sponsa hilaris summi Principis atqve DEI.
O Pater! ô Mater (mihi divæ credere fas est)
Vita hominum non est vita, sed anxietas!

THORUNII,
Imprimebat Johannes Conradus Rügerus, Nobiliss. Senatûs & Gymnasii Typographus.